DE PRAECIPUIS PULSUUM DIFFERENTIIS EXPERIENTIA CLINICA...

Luigi Nicola Basilisco

DE

PRAECIPUIS PULSUUM DIFFERENTIIS

EXPERIENTIA CLINICA DEDUCTIS

DISCEPTATIO

QUAM

ANNUENTE CAESAREI REGII PATAVINI

ARCHIGYMNASII

FACULTATE MEDICO-CHIRURGICA

AD MEDICINAE LAUREAM CONSEQUENDAM

PUBLICI JURIS FECIT

ALOYSIUS NICOLAUS BASILISCO

ARUPINENSIS HYSTRIANUS

PATAVII

TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXV

ORNATISSIMO

CONSESSUI MUNICIPALI

CIVITATIS ARUPINENSIS

IN HYSTRIA

ALOYSIUS NICOLAUS BASILISCO

F.

Dum exoptatam laborum studiorumque metam contingo, Viri spectatissimi, et Laurea Medico-Chirurgica honestor, nihil in corde magis inest, quam gratam animi significationem erga Vos et Patriam mihi vita ipsa jucundiorem amplissimis verbis ostendere. At interim beneficiorum quidem memor et meae tenuitatis plane conscius, nil aliud quam perennis observantiae testimonium Vobis possum exhibere.

En itaque opusculum hoc, collatae Laureae quasi primitias, Vobis ac Patriae dilectissimae do totum atque dico. Sit hoc vestrae erga me liberalitatis publicum mo-

numentum; dum mihi tot familiarium calamitatum est quasi levamen ac solatium.

Praetereo in hac tam fausta mihi die desideratissimi parentis acerbum et illaetabile fatum; praetereo optimae meae genitricis infandam sortem; praetereo summum moerorem ac pene dixerim desperationem, fratribus meis hac illac errantibus, amarissimo vulnere cordi meo illatam. Munificentia vestra spes maxima modo affulget, fore ut familiaria infortunia tandem aliquando mitigentur, et curis meis aliquod levamen afferatur, et moestissimae matri, et toti familiae. Faxint interea superi, ut habeat in me Patria studiosum sui Civem et Medicum ex omni parte sollicitum. Superest, praestantissimi Viri, ut quod incoepistis opus, illud implere velitis, mihique et conatibus meis pro vestra humanitate faveatis; dùmque me vestrae liberalitati committo, in dies magis magisque validissimum vestrum patrocinium experiar.

Dabam Patavii v Kalendas septembris.

DISCEPTATIO

Quanti haberi debeat in praxi medica exercenda pulsuum recta cognitio; quantum utilitatis afferat ad morborum progressiones investigandas, et quantum inter pulsuum characteres discrimen ad morbi varietates mutationesque dignoscendas conducat; omnibus sane medicis notum, atque experientia duce, a primis medicinae incunabilis demonstratum fuit. Ne quis vero unquam sibi suadeat, hanc tantam doctrinam medendi artem circumvolvere quodammodo et obscurare ut medicorum vulgo videtur; idoneum arbitror, plurimarum notionum diversi generis apparatum sub oculos subjicere, qui artis Sphygmicae auxilio suffultus, morborum therapiam optatae perfectioni proximiorem, studio diuturno fortasse in posterum reddere poterit.

Sinarum medicina quae tota in arte sphygmica versatur, quamvis procul dubio nimio innitatur empyrismo, ex diuturna praxi tamen haud parvae utilitatis ferax in nonnullis praesertim communibus morbis esse potuit. Hoc autem verissimum esse ex pulsuum ad rectam diagnosim instituendam influxu, facile ab omnibus desumi potest. Ecquis recentiorum cerebrosas de pulsuum qualitate ideas, quas Sinae medici habent, intento animo ad medicam praxim ad-

4 8

junxit? *Caepae folium*, *foramen tibiae*, *granum oryzae*, *margarita*, *madefactum gossypium*, *cingulum dirutum*, *panni frustum usu detritum*, haec et alia hujusmodi pulsuum nomina apud Sinas inveniuntur, hisque ideis ars medendi apud ipsos solidis veluti fundamentis firmatur.

Animi pathemata in ordines septem divisa, scilicet, *laetitia*, *miseratio*, *tristitia*, *vigiliae*, *inquietudo*, *timor*, *repentina formido*, *iracundia*, pulsu lento, parvo, brevi, acri, implicato, profundo, agitato, clauso, praecipiti, designantur: graviditatisque curriculum, non modo expers, sed singulis mensibus pulsuum peculiari proprietate, mirabili modo instruitur. Quid de hisce notionibus dicam? Sinarum medicorum si quis nos edoctos de hac doctrina sua dicendi copia redderet; forsitan aliquid emolumenti in artem nostram redundaret: secus haec plane nobis inutilia fore, nemo certe negabit.

Hoc difficillimum argumentum Clinico tam necessarium a nonnullis doctrina insignibus viris pertractatum, multa adhuc desideranda relinquit. Pulsuum systematica distinctio tam belle a Galeno ac Burserio distributa nequaquam tyronibus, sed aetate medica provectis videtur accomodata: et re quidem vera, variis arteriarum motibus attente indagatis (quod absque dubio ad Clinicum sagacem pertinet) ipsorum characteres attentionem aufugiunt, idearumque ex iis confusio in tyronum inexperta mente omnino remanere debet.

Hujus mihi induxi veritatis persuasionem, cum pathologiae atque Materiae Medicae praelectiones

condiscipulis meis mihique perhumaniter et sapientissime dictabat Comes Angelus Dalla Decima, nuperrime sublatus fato acerbissimo Reipublicae literariae, atque Universitatis Patavinae summa jactura; hocque argumentum meditatus sum. Eques V. A. Brera a Gubernii Consiliis S. C. R. A. Majestatis, Praxeos medicae Professor, jure ac merito in vacuam Cathedram interim suffectus fuit. Avide ac sollicite ab omnibus tanti viri lectiones audiebantur: et non ultimus ego inter medicae facultatis alumnos ad insignia audienda dictata recensitus, id quod potui retinere, mihi proposui. Ex illius praeceptis illa quae ad sphygmicam pertinebant, selegi: et sicuti in iis diffusiorem explicationem de pulsuum conditione, magisque ad lectulos aegrotantium idoneam doctrinam inveni, hanc inauguralis meae disputationis argumentum constituere optimum esse cogitavi. Ad haec curam animumque intendi: eritque mihi summi honoris approbatio ab illustri viro et Mecaenate venerando liberaliter donata.

Humanitati vestrae, Professores amplissimi, hos meos labores qualescumque commendo, et doctrina qua estis conspicui non uti judex in praesens adsit, sed imperitiae meae praesidium validissimum adsistat, ut clementer quae dicturus sum, excipiatis.

A pulsatione continuo motu arteriarum effecta pulsus nomen habetur, qui motus sicut a physiologis duplex distinguitur, *diastole* ac *sistole* graeco nomine appellatur; temporibus hisce nostris satis notus, et clarius quanto fieri potest sana doctrina demonstratus. Medicum sane nullum quae ad causas hu-

jus functionis pertinent, latent. Quamobrem haec facile praeterire in hac disceptatione arbitror. De pulsuum igitur pathologicis proprietatibus tantum sermonem instituam.

Magnum intercedit discrimen in pulsationum numero variis hominum aetatibus constitutis: atque ab infantia usque ad senectutem, praetermissis organorum ac constitutionum erroribus, hic numerus paullatim decrescit. Sic uno horae momento, pro norma generali statuto, habentur pulsationes centum ac viginti usque ad centum et triginta in infantibus, nonaginta usque ad centum in adolescentibus, septuaginta usque ad octaginta in adultis tam adolescentibus quam juvenibus ac viris; et ab hac aetate usque ad senectutem, sexaginta vel septuaginta numerantur.

Hae vero abnormes juxta cujuscumque generis morbosos eventus redduntur. In foeminis vero major est consideranda frequentia quae refertur ad compagem illarum tenuiorem, qua data, impressionum vis major quam in hominibus explicatur. Juxta Brerianae Scholae praecepta, quatuor in pulsuum doctrina habenda discrimina occurrunt, quae spectant ad pulsationum numerum dato tempore observatum; ad rationem, qua cor arteriaeque suos edunt motus; ad sensationem, quae in digito tangente impressione facta distinguitur; ad comparationem denique inter plures ictus instituendam. In pathologicis cel. Dalla Decima institutionibus anno 1822 editis pulsuum species triginta numerantur ac distinguuntur, et sunt: *celer, tardus, frequens, rarus, magnus, parvus, lon-*

gus, *brevis*, *expansus*, *adstrictus*, *plenus*, *vacuus*, *elatus*, *profundus*, *fortis*, *debilis*, *durus*, *mollis*, *tensus*, *vibrans*, *dicrotus*, *undosus*, *inciduus*, *inaequalis*, *intermittens*, *caprizans*, *vermicularis*, *formicans*, *myurus*, *deficiens*: et haec pulsuum species eruditione perspicua in earum explicatione ornantur. Ut melius vero haec nomina relata ad morborum typum intelligantur, fas est, characteres pulsationum, spatiique inter eas interpositi, gradus variationum, ac leges ex observatione pendentes, rhythmo explicare.

Raritas pulsus vel frequentia habetur, cum naturalis pulsationum numerus, dato temporis spatio inspectus, crescit vel decrescit: et hinc gradus nonnulli tam frequentiae, quam raritatis observantur, unde frequens pulsus, perfrequens vel frequentissimus constituitur, ac inversa ratione rarus, perrarus vel rarissimus distinguitur. Haec pulsuum frequentia ab adaucta cordis atque arteriarum sistole semper repetenda est: numerus vero pulsationum ab adaucta vi irritabili tum cordis tum arteriarum textus, immo etiam cordis tantum, originem habet; et ideo corollarium sequitur, frequentiam pulsus a morbosa conditione cordis, potius quam arteriosi systematis pendere.

Itaque frequentia istiusmodi quae uti febrium pathognomonicus character a medicis habetur, cordis praegrandem irritationem manifesto demonstrat: et inde aucta aeris temperies nec non balneorum, incitamentum quod ab animi affectionibus gignitur, motus violentior, repletioque a cibis sumptis exorta, irritabilitatem cordis augendo, frequentiores arteriarum

pulsus semper reddere debent. Accidit e contra, quod qualecumque morbi genus, vitae vires languentes efficiens, et consequenter actionem cordis imminuens, pulsuum etiam raritatem inducit: quo id quod supra exposuimus, evidenter probatur.

Quoad pulsationum numerum; postquam frequentiam atque raritatem earumdem ostendimus, ad rationem qua cor et arteriae suos edunt motus, gradum faciamus. Celeritate atque tarditate hoc efficitur. Brevius aut longius intervallum inter diastolem ac sistolem aliquando occurrit: sanguis enim in cavitate cordis retentus, non uno tantum impetu emissus, sed paullatim per circulationis systema impulsus, temporis spatio plus aequo majore pulsationem edit, et hinc pulsus qui tardus appellatur: contra vero nuncupatur celer, quando fit promptior constrictio, et minori quam naturalis conditio postulat, temporis spatio sanguinis impulsio per arteriosum systema perficitur. Haec pulsus conditio non raro tabescentiae uti signum retinetur, atque in inflammationis exitu intestinorum gangraenoso jugiter occurrit. Febris qua corpus intabescit, hectica nuncupata hoc pulsuum charactere insignitur: ac generatim loquendo, morbosae affectiones in quibus massa sanguinea ad aliquod organum difficillime accedit ob constrictiones validissimas quas systema patitur arteriosum, pulsus celeritate praesertim distinguuntur.

Languescunt cordis vires, tarde ac lente sistoles vel arctatio cavitatum impletur, et inde pulsus qui tardus nuncupatur, exsurgit. Animi deliquia, supremum vitae tempus hujus pulsationis tardae exem-

pla suppeditant, ac criseos stadium in morbis acutis praesertim hac pulsus qualitate instruitur.

Si quando motus convulsivi qui arctationem cordis minime perfectam efficiant, insurgant, tum pulsus qui vocatur dicrotus, efformatur, criticis etiam narium haemorrhagiis proprius, unde critico-nasalis nomen assumpsit. Habemus ex Lancisii observationibus, quod cordis vel magnae aortae aneurismata, pulsu dicroto persaepe declarantur.

Magnitudo ac parvitas, fortitudo ac debilitas, durities ac mollities pulsuum exploranti digito tantum a Clinico persentiuntur. Magnus ille pulsus vocatur quando arteria in sua diastole ultra quam naturali conditione fieri potest, dilatatur: et cum arteriosi cylindri paries sub diastole parum elevatur, tunc pulsus parvus dicitur.

Pulsus magnus etiam pro pleno usurpatur; sed hujusmodi pulsus a fortiori sanguinis renixu contra digitum videtur pendere: differt in hoc vero a forti nuncupato, quia summum arteriae elaterium huic adjungitur. Facile digitorum pressurae arteriae parietes aliquando cedunt, parumque expanduntur, et tunc pulsatio exsurgens debilis appellatur.

Durities denique vel rigiditas, atque pulsuum mollities hoc modo explicantur. Sub durae pulsationis nomine intelligitur illa sensatio, quae in pulsu percipitur, quasi arteria sicut fides in instrumento tensa fuisset: pulsusque mollities sensationem omnino oppositam sub pressione edit.

Pulsus magnus generatim sub statu phlogistico invenitur, atque in vasorum plenitudine, thoracicis

praesertim in inflammationibus, in quibus praeternaturalis adest plethora, contigit. Spasmodicae arteriarum contractiones in inflammatione gastro-enterici systematis advenientes sub veneficio praecipue, pulsu parvo porro gaudent. Irritationis hicce status a tubo gastro-enterico per trisplanchnicum systema propagatur: nervi cardiaci, caeliaci, aliique undique per thoracis ac imi ventris cavitates diffusi ex hoc systemate pendentes afficiuntur, et sicuti circulationis systema dominantur, huic propriam irritationem comunicant, et inde hujus pulsus characteres expositi manifestantur.

Pulsus durities in summa phlogistica conditione observatur, qua vicissim cum tardo atque raro pulsus durus conjungitur. Mollities vero sub diaphoresi exsurgit, et tunc hujusmodi pulsus etiam undosus appellatur: quare undae excurrentis impressio a digito explorante notatur.

Circulationis systema vel peculiari propria irritatione movetur, vel haec per consensum aliis in locis degens illi comunicatur. In hoc casu sistoles arteriarum major quam diastoles evadit: et huic conditioni arteriosi systematis pulsus sic dictus irritatus applicatur. Sicuti vero organorum vitia ac dynamismi omnes affectiones fere semper pulsus irritationem edunt; haec irritatio etiam diversa juxta morbosi processus varietatem efficitur. Cum frequentia ac celeritate haec pulsuum irritatio confundi potest, et non raro mollem ac debilem pulsum efficit. Hae irritationes tandem ex perturbata mixtione organica pendentes, per totum diffunduntur systema: et hinc haec

pulsuum irritativa conditio persistit, usquedum eliminata hac materia irritante, corpus pristinae sanitati restituatur.

Sequitur ultimum discrimen ex comparatione inter pulsuum ictus desumptum, ex quo regularitatem, vel irregularitatem, intermissionem, aequalitatem, inaequalitatem pulsationum cognoscimus. Aequale spatium intra diastolem ac sistolem regularem pulsum constituit; inaequale vero irregularem. Si constantem vel variam pulsationum sibi succedentium seriem una tantum vel plures deficiant, tunc pulsus intermittens vocatus habetur. Haec pulsus intermissio vitium fere semper organicum tam in corde quam in vasis majoribus indicat, quod circulationi obstaculum opponat.

Aequalis pulsus vocatur ille, in quo pulsationes omnes tam frequentia quam celeritate caeterisque aliis aequales inter se fiunt; contra vero inaequalis. Aequalis pulsus a Galeno distinguitur duplex, scilicet aequaliter inaequalis, inaequaliter inaequalis: primus videlicet regularitate, secundus irregularitate in sua inaequalitate donatur.

Virium vitalium titubatio a cordis vel arteriarum spasmo affecta pulsu notatur inaequali: et cum cor spasmo afficitur, maximum vitae inest periculum, quod minor certe evadit sub arteriosi systematis spasmodica contractione, ut plurimum a statu irritationis exorta. Inaequalis ergo sicuti ab irritatione pendere potest, ad irritatos vehementer pertinere debet.

Varietates pulsuum nuper descriptae non semper uti constantes in varietate earum retinendae sunt.

Organorum occulta vitia, loci arteriarum aberratio, diversa saepe vasorum distributio ac divisio pulsuum leges aliquando permutare possunt. Hisce dictis addatur etiam vasorum rigiditas, quae in senibus saepissime usuvenit, unde arteriarum pulsus irregularitate jugiter instruuntur. Infantes, pueri, ac foeminae, uti supra diximus, a pulsuum legibus expositis segregentur oportet.

Haec quae exposuimus, pulsuum nomina, notis peculiaribus distincta, praecipua vocari possunt a Clinicis usurpata. Sed et alia etiam inveniuntur apud antiquiores praesertim, quae ad pulsus ab affectione quadam in singulis organorum textibus enata, applicata fuere. Hujusmodi pulsus symptomatici vel organici nomen sortitus est. Itidem capitales, pectorales, gutturales, stomachici, hepatici, splenici, intestinales, uterini et reliqui pulsus habentur, quemadmodum pectus, guttur, hepar, splen, intestina, uterus peculiari ratione afficiuntur. Characteres vero quibus hae species distinguuntur, ad species a nobis antea demonstratas pertinent; et Clinici sagacis est juxta notas exhibitas de organica affectione judicare.

De crisium exitu notiones maximae utilitatis a pulsibus hauriuntur, ut irritationis, coctionis, excretionis tempus distinguatur. Irritationis status a pulsu vehementi, duro, contracto dignoscitur: coctionis tempus a soluto, expedito, liberiore pulsu manifestatur; et excretionis denique periodus a pulsu sic dicto critico, semper vario quoad organum ex quo excretio fit, notatur. Ac sicuti crisis per emunctoria varia fieri solet, quae vel supra diaphragma, vel infra diaphrag-

ma collocata sunt: sic et pulsus crisis emunctorium sequitur, et in superiorem ac inferiorem dividitur, quoad criseos vel supra vel infra diaphragma apparitionem. Ad superiorem pulsus pectoralis, gutturalis, nasalis; ad inferiorem, intestinalis, hepaticus, renalis, haemorroidalis pertinere debent.

Quoad refertur ad crises, pulsus etiam componi possunt: nam datur aliquando composita crisis, per varia superiora simul ac inferiora emunctoria enata, unde pulsus etiam inferioris ac superioris characterem accipit. Haec pulsuum compositionis genera attentionem majorem exposcunt, ut complicatio excretionum distinguatur. Tam pulsuum organicorum proprietates, quam criseos notiones a pulsibus repetendae, in eximio cl. Burserii de pulsibus posthumo tractatu fuse expositae inveniuntur; quapropter de his verbum facere, inutilis prorsus foret in hac disputatione repetitio.

Postremo sequatur appendix, quae scriptorum atque Clinicorum praescripta de pulsuum exploratione comprehendat. Arteriarum pulsum attingere nemini, nisi praxeos medicae expertissimo proprium videtur. Hoc autem esse verum, sane ex iis da quibus locuti sumus, protinus elucet. Pulsuum varietates in singulis morbis diversae, loci arteriarum aberrationes, organorum textus vitia, animi pathemata, infirmorum instantaneae motiones, et alia hujusmodi, ambiguitates quamplurimas pariunt, quo fit ut medici mente labantur, atque forma morbi primo intuitu incerta efficiatur. Pluries igitur in primis pulsum tangere oportet, atque arteria vicissim pressurae

subjicienda est, et libertati pristinae pluribus vicibus restituatur necesse est. Nam et commotio aegrotantis a medentis praesentia producta, ac circulationis motus ab ipsa aliquo modo mutatus, pulsuum qualitatem diversam temporis puncto reddit.

Utriusqe lateris pulsus in medica exploratione tangere jugiter oportet. Unius lateris arteriae saepenumero ab illis alterius pulsatione discrepant: existat ne discrepantia, et pendeat a lineae albae divisione maximi habita apud antiquiores, vel non, aut ab aegrotantis decubitu, atque arteriosi systematis distributione, vel aliis originem habeat, certum est, quod haec a Clinicis observatur, atque magni semper fieri debet.

Quinquaginta saltem pulsationes in explorando pulsu a medico sunt expectandae, ut si aliqua adsit intermissio, vel pulsuum dicrotismus, recto modo persentiantur, atque istarum proprietatum natura et indoles in diagnoseos institutione consideretur. Medico summopere interest, aequas a pulsuum qualitate indicationes haurire, ne nimis praeceps sententia aegrotanti suo damnum irreparabile afferat.

Explorationis initio digitorum tangentium pressio sit levis, atque arteriae pulsantis motu percepto, statim digiti amoveantur; paullo post denuo exploratio majori pressione repetatur. Pulsus aliquando fortiores atque elatiores fiunt, et aliquando etiam profundi, atque parvi inveniuntur.

Itaque clare apparet, quomodo digitorum pressio, pulsus naturam evertere possit, istamque abnormem subinde medico sese ostendere: et ecce quantae uti-

litatis in dignoscendo pulsationum charactere haec examinis attentio medico esse potest. Infirmi atque medici collocatio ad explorationis optimum effectum valde conferunt. Aptior infirmi collocatio supina certe videtur, capite aliquantulum erecto brachiisque absque pressione extensis: commode vero atque attente medicus suum examen impleat.

Discutiendis itaque discussis, onus susceptum liberavi, et pulsuum differentias quoad Clinicas accessiones diligentia summatim exposui.

Studiorum meorum curriculo jam nunc absoluto, quasi ad meorum laborum aliquod specimen pauca haec mente reputavi: atque in posterum ex observationibus ad aegrotantium lectulos accurate cogitateque consideratis in eam spem facile adducor, ut magis explanatum hoc tam necessarium argumentum fiat, et multo utiliora eidem adjungere possim.

THESES

I.

Febrium intermittentium typus non semper earum constituit naturam; hinc fallax illud effatum: ubi intermissio, ibi china.

II.

Chininae atque Cinchoninae sulphates corticis chinae-chinae omnino vices gerere nunquam possunt.

III.

Opium et incitante et deprimente actione pollere potest.